Quod bene vertat! En! auspicatissimus adest dies, XII. Decembris, anni M D ...

Gezelius, Johannes,

82 Aa 13/2 Stigzelius

National Library of Sweden

1667

Quod bene vertat!
En! auſpicatiſſimus adeſt dies,
XII. Decembris, anni CIↃ IↃ CLXIIIX.
Quo,
Divina ordinante bonitate;
Superiorum ſive auctoritate, ſive conſenſu;
cum omnium applauſu:
Gubernationis Academicæ munus,
ſibi delatum, ſuſcipiet:
Vir Summus, & omnium bonorum conſenſu celeberrimus,
Patriæ decus, ſæculi ornamentum.
Dominus
LAURENTIUS STIGZELIUS,
Sacræ Theologiæ Doctor & Profeſſor,
donis, meritis, fama,
in tantum æſtimandus; in quantum intelligi poſſunt,
virtus, eruditio, ſapientia ſumma.
Ita non magis ſollerti, ſollicitaque prudentia,
quam fatorum deſtinatione velut ſingulari;
Cum munificentia clementiſſimi *REGIS*,
vel inſtituuntur, vel priſtino vigori reſtituuntur,
Illuſtres diſciplinarum officinæ aliæ:
Hujus noſtræ ſollenne adminiſtrationis munus,
ſuſtinet, illuſtrat;
Sui ordinis & noſtri, princeps, ſenior, caput.
Qui:
cum magno dignitatis ſuæ incremento,
majore publicæ utilitatis, reique litterariæ:
conſilio, doctrina, ope, diu profuit celeberrime;
auctoritate ſæpe præfuit feliciſſime;
nobiliſſimæ huic Academiæ,
annis & ornamentis, omnibus fere ſuperiori.
Quisquis ergo ad hanc tabellam divertis
HOSPES.
Cogita, quantum ſupra uſitata honoris præconia,
præſens proficiat feſtivitas.
Et quod hic legis votum, ſupple:
Contingat STIGZELIO noſtro, Doctori, Patri, Rectori,
læta proſperitas & feliciſſima vita,
Ut careant invidia fortunæ, adminiſtrationis ejus tempora,
Et ſplendori temporario, ſuccedens auguſta celebritas.

In venerationem
magni Mecœnatis,
& hoſpitis optimi,
poſui
JO: GEZELIUS, Weſm:

55